



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundum Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

Ca. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

fenfum elicit Christi verbis planè contrarium. Sed Christum hoc loco contra hypocrisim, quæ vera virtute caret, loquutum fuisse, & verum pietatis studium, quod coram Deo laudem habet, commendasse, præcedentia eius verba manifestum faciunt, vbi dixit: *Cognoui vos quia dilectionem Dei in vobis non habetis.* Vbi iterum causam docuit cur scrutando Scripturas in eum credere noluerint; quia videlicet nullam dilectionem Dei habebant, Deo placere aut seruire, in oculis Dei iusti ac sancti esse, non curabant: hominum gloriam & existimationem diligebant, &, vt hîc loquitur, *gloriam ab inuicem accipiebant.*

## IN IOANNIS CAP. VI.

27. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

**F**VNDAMENTVM hoc est disputationis Christi futuræ, ideòque dexterè & accuratè intelligendum. Auocat eos à studio corporalis & vulgaris cibi, ad studium & acquisitionem alterius cibi quem ipse daturus erat: non illud prius simpliciter prohibes, sed hoc posterius ei antepone. Cibum de quo hîc loquitur, eundem esse de quo postea dicit, *Caro mea verè est cibus,* & Christi carnem nobis in Sacramento exhibitam, docent hoc loco Augustinus tract. 25. & Cyrillus libro 3. cap. 28. verba etiã adiuncta hoc confirmant. *Hunc enim Pater signauit Deus.* Non enim erat cur hanc humanitatem diuinitate sigillatam ei que vnitam inferret, nisi quia docere voluit quomodo caro eius in cibum data vitæ æternæ cibus futurus esset, nempe quia diuinitati coniuncta & vnita esset. Hæretici, vt doctrinam hîc de Sacramento penitus corrumpant, verbis hîc Evangelicis vim faciunt. *Cibum vocat* (ait Calvinus) *quacunque ad vitam nouitatem pertinent.* Scimus autem animas nostras pasci Evangelij doctrina, dum in nobis est efficax per Spiritus virtutem. Ergo quum fides sit anima vita, quacunque fidem alunt & promouent, cibo comparantur. Est aperta diuinæ Scripturæ corruptio. Quum enim Christus in sequentibus exponat inter opera Dei quæ operari oportet vt hunc cibum comparemus, esse ipsam fidem vt credamus in eum, manifestissimum est fidem à cibo distingui. Deinde cibus, de quo Christus loquitur, est quem ille daturus erat, non quem nos

*Fides à cibo quem operari oportet distinguitur.*

operari debemus. Operamini, ad Iudæos pertinebat, ut crederent: *Cibus ille est quem se daturum promittit. Rursum hic cibus dicitur permanere in vitam æternam, id est, esse cibus viuificus, & qui nutrit ad vitam æternam: quod inde probat, quia hæc caro est dignitati vnita, Calvinus vtramque sententiam inuertit. Hoc cibi genus (inquit) manere dicit in vitam æternam, ut sciamus non in diem animas nostras pasci, sed edocari in spem beata immortalitatis. Ideo Spiritus dona recipere nos conuenit, ut tessera sint ac pignora vite æternæ. Hæc illi. Moxque proximam sententiam à Patribus ad diuinam Christi essentiam perperam contortam esse impudenter dicit. Caput tamen verum sit, Spiritus Sancti dona pignora vite æternæ, & in eius consequendæ spem nobis confert, ut cap. 4. Christus docuit, hic tamen de alio cibo agit per viuifico, & ad quem comparandū nos operari opera Dei operetur. Imo (ait Calvinus) quod donatione Dei consequimur, non propria industria sibi comparat. Ita Christi verba profusè futare conatur. Sed facillè hæc duo conueniunt (quod de spirituali animæ cibo fatetur hoc loco Calvinus) ebum quod Christus daturus erat, gratuitum eius donum esse; & nos toto cordis affectu huc exiri debere, ut tanti boni participes fiamus: vbi non est sola propria industria, sed speciali Dei gratia adiuta. Nec Christus, quum iubet operari, solam propriam hominis industriam compellat, sed ad operationem hortatur, cui Dei gratia non deest.*

30. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum.*

**E** Gregiè hunc locum deprauat Calvinus. Illi (inquit) loquuntur de operibus. Christus ad vnum opus eos vocat, hoc est ad fidem, quo significat, quicquid extra fidem homines moliuntur, inutile ac vanum esse, solam verò fidem sufficere, quia hoc vnum à nobis Deus postulat, ut credamus. Quod non aduertit luculentum impostoris mendacium? Atque per totam Scripturam postulat à nobis Deus ut mandata eius faciamus? Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et alia innumerabilia. Est enim hic (inquit) inter fidem & hominum studia ac conatus\* tacita antithesis, ac si dixisset: Frustrà satagunt homines quum sine fide student placere Deo, ac si extra viam currendo ad metam tenderent. Est ergo insignis locus, quòd homines, quantum

Solam fidem Deus non postulat.

Matth. 19.  
Rom. 8.

Tacitam antithesim intelligere, quæ propter

miserè tota vita se fatigant, ludunt tamen operam nisi fides in unam v<sup>o</sup>  
 Christum sit illis viuendi regula. Aduerte impostoris artem, ritatem  
 Dixerat solam fidem sufficere, & hoc vnum à nobis Deum postu- negat a-  
 lare vt credamus. Vt hoc impium paradoxum confirmet, liam, Re-  
 docet sine fide neminem placere Deo posse. & viuendi regu- gula al-  
 lam ex fide petendam esse. Sic fidei perfectionem probat ex uiniana ad  
 necessitate, vt videatur sola sufficere, quia est imprimis ne- deprauan-  
 cessaria. Vide in re simili. Dico ex solo pane hominis ali- dus Scri-  
 mentum constare, & probo quia sine pane non viuatur. Quis pturas.  
 futillissimum paralogismum non videt? Sed attende sequètia. Fidei per-  
 Qui ex hoc loco colligunt fidem donum Dei esse, falluntur. Neq; probat Cal-  
 enim quid efficiat Deus in nobis, sed quid requirat ac velit, uinu ex  
 Christus docet. Fallit iterum & mentitur. Vtrunque enim necessitan-  
 Christus docet in istis verbis, quum dicit hoc opus Dei esse vt te.  
 credamus in eum. Nam & à Deo fidem esse docet, & Deum id  
 à nobis velle. Opera Dei quæ operari debemus, de quibus  
 quærebant Iudæi, non solum sunt opera Deo grata, sed sunt  
 opera quæ Deus operatur in nobis per adiutoriū gratiæ suæ.

Nunc in tam impia doctrina sua grauem & necessariam  
 obiectionem ponit Calvinus. Videtur tamen (inquit) id esse  
 absurdum, nihil Deo probari præter unam fidem. Neque enim  
 contemni debet charitas, nec alia pietatis officia locum & ho-  
 norem perdunt. Ergo vtrunque primatum teneat fides, non  
 tamen superuacua sunt alia opera. Attende nunc vt ad obie-  
 ctionem à seipso molissimè formatam respondeat. Respon-  
 sio (inquit) facilis est. Neque enim fides vel charitatem vel  
 aliud vllum bonum opus excludit. Si non excludit alia, ergo  
 sola non sufficit; ergo & alia Deus à nobis postulat, non hoc  
 vnum: & ita bis mentitus suprâ Calvinus est. Sed attende  
 quare dicat alia non excludi. Quando (inquit) omnia in se  
 continet fides. Et quomodo continet alia omnia pietatis of-  
 ficia? An vt genus species, vel vt totum partes, vel vt ca-  
 put membra, vel vt fons & radix vnica suos riuulos ac pal-  
 mites? Nihil horum Calvinus statuit, quia & nihil ho-  
 rum fides est respectu charitatis, & aliarum virtutum.  
 Attende quomodo hoc explicet. Fides enim (inquit) vo-  
 catur vnicum Dei opus, quia per ipsum Christum possidentes,  
 filij Dei efficiuntur, vt nos spiritu suo gubernet. Mentitur ac  
 fallit. Nec per vnica fidem Christum possidemus, aut  
 filij Dei efficiuntur, sed per charitatem multo verius ac ple-  
 nius, nec si ita esset, omnia tamen reliqua contineret fides, sed  
 omnium reliquorum loco esset, aliâque penitus superflua

Effugia  
 Caluina-  
 na pro sola  
 fide refel-  
 luntur.

1. Ioan. 3.  
Ioan. 14.

statueret. Per charitatem non vnicam, sed cui fides coniuncta est, Christum intimè possidemus, & filij Dei efficimur. Vide-  
te qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur  
& simus. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater  
meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud  
eum faciemus. Annon ille intimè possidet Christum?

Gal. 5. 22.

1. Cor. 12.  
& 13.

Christus  
& Paulus  
Caluino  
improprie  
loquuntur.

Rom. 3.

Pergamus cum Caluino. Quia ergo à fide Christus fructus  
eius non separat, non mirum est, si in ea constituat proram, et  
loquuntur, & puppim. Nihil quàm fallit ac mentitur. Nec fi-  
dei fructus charitas est, sed diuini Spiritus fructus, quem ad-  
modum fides ipsa, dicente Paulo, Fructus Spiritus est charitas,  
gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, man-  
suetudo, fides: nec verum est à fide charitatem non separatis,  
dicente iterum Paulo, Tria sunt hæc, fides, spes, charitas, maior  
autem horum charitas: & paulò post, Si habuero omnem fidem,  
ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil  
sum. Hæc omnia Caluinum mendacem arguunt. Addit adhuc,  
ut fallat ac mentiatur magis. Putida est eorum cauillatio qua  
huius loci pretextu operibus nos iustificari contendunt, si fides  
iustificat, quum ipsa quoque vocetur opus primum. Et quare pu-  
tida? Quia satis constat (inquit) Christum improprie loqui, quum  
fidei imponit nomen operis: sicuti quum Paulus legem fidei & le-  
gem operum inter se comparat. Vide arrogantem hæretici au-  
daciã. Tam Christum quàm Paulum improprie loqui af-  
firmat. Cur igitur non omnia improprie dicentur in Scrip-  
tis, quæ placitis nostris contraria erunt? An ferendum putabit  
aliquis Caluinista, Paulum improprie loqui, quum dicit, *de-  
bituram hominem iustificari ex fide, non ex operibus?* Deinde  
non secus proprie ac verè opus Dei in nobis fides est quàm  
charitas aut aliud aliquod pietatis officium, quando omnia  
illa in nobis vnus & idem operatur Spiritus, nec minus Dei  
donum fides sit quàm charitas, & alia. Aliam adhuc proba-  
tionem subiicit. Deinde (inquit) quum operibus negamus ius-  
tificari homines, opera intelligimus quorum merito, sibi homines  
gratiam apud Deum conciliant. Quasi verò fidei merito Abra-  
ham sibi gratiam apud Deum magnam non conciliauerit  
quando & illa reputata sit ei ad iusticiam, & per illam factus  
sit hæres mundi, & Pater multarum Gentium. Atqui (inquit  
Caluinus) fides nihil ad Deum affert: quin potius vacuum &  
inopem sistit coram Deo, ut Christo eiusque gratia impleatur.  
Quare passuum est opus (ut ita loquar) cui nulla potest rependi  
merces nec aliam confert homini iusticiam nisi quàm à Christo  
reci

recipit. Hæc omnia nouæ sunt speculationes nouorum ho-  
die hominum, commenta & traditiones hominum in nulla  
Scriptura fundatæ, sed contra manifestas Scripturas, vt An-  
tidota nostra in vna ad Rom. Epistola, in qua potissimum fû-  
dantur, inculenter docebunt. Fides multum ad Deum affert,  
quia magna obedientiæ virtus est, & dat gloriam Deo, certissi-  
mè credens quacunque Deus loquitur. Qui diuites in operibus  
bonis sunt (vt Paulus hortatur) Christi tamen gratia imple-  
tur, quia non nisi ex Christi gratia illa operantur. Opus fidei,  
quia opus hominis est qua homo credit, & dat gloriam Deo,  
opus actiuum ac liberum est, ideoque ei potest rependi mer-  
ces, sicuti Abrahæ fides remunerata fuit. Denique fides con-  
fert credenti iustitiam, quia reputatur ad iustitiam. Christi  
autem iustitia non secus à charitate recipitur quàm à fide,  
quando beneficium redemptionis Christi non secus diligen-  
tibus datur quàm credentibus, nec minus vel necessaria vel  
efficax ad eam consequendam charitas est quàm fides. Ne-  
cessaria, quia qui non diligit, manet in morte: efficax quia  
qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo: Vi-  
des, lector, quàm multa venena in vna pagella Caluinus  
effudit.

Rom. 4.

1. Tim. 6.

Rom. 4.

1. Ioh. 3.

&amp; 4.

37. *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.*

Hæc propositio cum altera illa quæ paulò post sequi-  
tur coniuncta, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus tra-*  
*xerit illum*, magnam mouit Græcis interpretibus Chryso-  
stomo & Euthymio in hunc locum difficultatem. Si omnis (in-  
quiunt) quem dat Pater, venit ad Christum, & nemo alius,  
quibus ergo non dat Pater vt veniant, in culpa non erunt: cum  
ideo non veniant quia datum non est eis à Patre vt veniant.  
Ad hanc difficultatem respondent, liberum arbitrium non  
tolli quia venire & non venire liberum est, ideoque qui non  
veniunt, in culpa esse. Vera sanè hæc doctrina est, quam &  
contra Pelagianos tradit S. Augustinus his verbis: *Credere,*  
*vel non credere, est in arbitrio voluntatis humanae.* De præ-  
destin. sanct. cap. 5. Sed quia hæc responsio difficultatem non  
soluit (tameñ enim libere non credat qui excitatus ad cre-  
dendum, credere recusat, & in illo culpa appareat; tamen  
quia non omnes excitantur, quomodo illi in culpa sunt,  
quando non à Deo excitati credere non potuerint?) Euthy-  
mius apertius respondet, eos à Deo non excitati qui se in-

Gratia  
Dei de-  
sensio.

dignos hac gratia exhibuerunt, excitari verò qui aliqua præparatione se faciunt dignos. In quam etiam sententiam pro-  
 pendet Chrystostomus, & alij Græci, vt ipse Cyrillus lib. 4.  
 cap. 39. in Ioan. Caterùm cauenda hæc doctrina & repudianda  
 est: & S. Augustini, imò Ecclesiæ Catholicæ tenenda sen-  
 tentia est, neminem seipsum ad gratiam præparare, vt se gra-  
 tia Dei dignum faciat, sed ipsam præparationem à Deo esse,  
 vt eodem in loco citato aliisque sexcentis docet Augustinus.  
 Difficultas autem proposita inde soluitur, quòd quibuscu-  
 que talis gratia non datur vt de facto credant, nemo illorum  
 sine culpa est, quum omnes in peccato Deus inueniat, ideo-  
 que non sine eorum culpa talis gratia illis negatur. Quibus  
 ergo Pater dat vt ad Christum veniant, misericorditer dat,  
 quibus illud non dat, iusto iudicio negat: non quia non erant  
 prædestinati (vt hæretici volunt, & hoc loco Calvinus) nec  
 quia fides non est in arbitrio hominum (quod etiam hinc im-  
 piè colligit Calvinus) nec denique quia quibus non datur ta-  
 lis gratia vt credant, nulla fuit data gratia, qua ad fidem  
 peruenire potuerint si auxilio dato rectè vsi fuissent (ante  
 enim *Deus vult saluos fieri*, ideoque omnibus sufficiens au-  
 xilium pro loco & tempore dedit) sed quia propter peccata  
 quibus grauantur, maiora gratiæ auxilia quibus adiuti ad  
 Christum veniant, iuste illis subtrahuntur. *Nemo igitur ve-  
 nit ad Christum, nisi quem Pater trahit.* Non tamen omnes  
 quos Pater trahit, veniunt ad Christum. *Omnis quidem  
 quem dat Pater Christo, venit ad Christum:* sed non omnes  
 quem trahit Pater. Plus est dari à Patre Christo, quàm tra-  
 hi à Patre vt ad Christum veniant. Illud enim efficacem, hoc  
 nisi sufficientem Dei gratiam importare videtur. Dantur  
 enim à Patre Christo non nisi electi, qui ita congruis modis  
 excitantur, vt infallibiliter ad Christum veniant; trahuntur  
 qui sufficienter vocati non semper veniunt. Illi audiunt &  
 discunt, quia *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad  
 Christum.* Isti audiunt tracti & excitati à Deo, & apprehen-  
 dunt quid loquatur in eis Deus, sed non semper discunt per  
 voluntatis assensum. Imò (ait in hunc locum Calvinus) *in  
 duobus membris prorsus evertitur tota liberi arbitrij facultas  
 quam sibi somniant Papista. Falsùmque ac prophanum est, ho-  
 mines volentes trahi. Christus enim pronuntiat ita efficacem  
 esse Spiritus gratiam qua trahuntur, vt necessario credant. Sed  
 huic audaci ac petulanti hæretico opponimus S. Augusti-  
 num, diuinæ gratiæ prædicatorem maximum. Docet illa  
 aperta*

1. Tim. 4.

*Dari à Pa-  
 tre plus est  
 quàm tra-  
 hi.*

*Liberum  
 arbitrium  
 defenditur*

apertissimè sic homines à Patre trahi ad Christum, vt liberè hunc tractum sequantur vel non sequantur. *Verumque hoc verum est* (ait Augustinus) *Deus Pater attrahit ad filium homines, & dimittit homines, vt quis quid voluerit eligat.* Rursum alibi. *Trahi à Patre ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum.* Et de hoc dono alibi dicit. *Credere in Christum, & operari iuxta fidem Christi, virumque nostrum est propter arbitriū voluntatis; & utrumque datum est à Patre propter spiritum fidei & charitatis.* Sic rursum de dono castitatis: & explicans illa Christi verba, *Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, ita scribit.* *Vt hoc verbum quod non ab omnibus accipitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium.* Porro de facto non omnes qui trahuntur à Patre ad Christum venire, his verbis docuit Augustinus. *Quis non videat & venire quemque ad Christum & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adiutum esse si venit.* Obserua quod dixit, potest esse solum si non venit, quia aliquando etiam quando non venit, non est solum, sed gratia Dei adiutum, quam proteruè abiicit. Vnde alibi Augustinus postquam dixisset, *visorum suasionibus siue extrinsecus, siue intrinsecus, Deum agere cum anima rationali vt credat, atque hoc modo ipsum velle credere in hominibus operari;* propter hominum proteruitiam, qui operanti in illis Deo cooperari interdum nolunt, adiunxit statim: *Cōsentire autem suasioni aut vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Quæ omnia contra Caluini hoc loco corruptelas diligenter notanda sunt.

Cont. lit.  
lib. 2. c. 84  
De prad.  
sanct. li. 1.  
cap. 8.  
Ibidem  
cap. 3.  
De grat.  
& lib. 176.  
cap. 4.  
De gratia  
Christi  
cap. 4.  
De Spiritu  
& lit.  
cap. 33.

si. Panis quem ego dabo, caro mea est (quam ego dabo) pro mundi vita.

Explicat nunc Christus difertis verbis de quo pane & cibo hæctenus locutus fuerit. In principio sermonis dixerat. *Operamini cibum quem filius hominis dabit vobis.* Postea adiecit. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Denique, *Ego sum panis vite.* Quibus omnibus verbis docuit se hominem factum in cibum fore, tam ex Patris sui dono, qui misit eum in mundum, quàm ex suo proprio dono. Et quia ad hanc rem intelligendam fide opus erat, multa de fide & de dono fidei interseruit. Moxque ad principale argumentum

Ver. 27.  
32.  
33.  
35.





48. rediens, iterum dicit, *Ego sum panis vite*: & statim de excellentia & effectu huius panis longè alio quàm erat ipsius manna, ubi pauca dixisset, nunc discitè explicat: *Panis*, de quo hactenus locutus sum, & quem me daturum promisi, & (quod nunc repeto) *quem ego dabo*, suo videlicet tempore & loco, *caro mea est*, non mystica aliqua, sed vera, *quam ego dabo pro mundi vita*, ad mortem videlicet in cruce subeundam pro salute totius mundi. Hanc clausulã adiecit, tum vt veritas carnis exprimeret; tũ vt causam quandã specialẽ dandi huius panis insinuaret, nimitũ in perpetuã mortis suæ recordationem. Quam etiam ob causam quum de facto daret, adiecit.

Luc. 22. *Quod pro vobis datur: hoc facite in meã commemoratione.* Hic sensus omniũ planè veterum Patrum tam Græcorũ quàm Latinorũ calculo cõprobat, & à plurimis hodie interpretibus asseritur: quorum omniũ testimonia diligenter in vnũ collegit Nicolaus Sanderus in tractatu super hoc cap. 6. Ioan.

Augustini sententia, loqui hic Christũ de Panis Eucharistico. Quia tamen S. Augustinum aliter sentire aliqui volunt: eo quod tract. 25. in Ioan. spirituales manducationem docet eius vnus loca annotabimus. In tract. seq. 26. manducationem spirituales eam docet, quã cum fide & puritate Christus in altari sumitur. In eodem sermone sacramentalem manducationem tantũ, ab illa quæ sacramentalis ac spiritualis est, apertè distinguit. Denique tractatu 27. sermonem Christi concludens, ad sacramentalem manducationem dignè faciendam hortatur. Aliis quoque variis in locis de Sacramento corporis sui Christum hinc disputare docet: Serm. 11. & 46. de verb. Domini, de Ciuit. Dei lib. 17. capite 5. & 21. cap. 25. de consensu Euangel. lib. 3. cap. 1. de pecc. mer. & remiss. libr. 1. cap. 20. in quæstion. super Leuiticum capite 57. Epistola 95. contra Cresconium libro primo, capite 24 & 25. In Psalmum 33. concione 1. Ad eò nullus veterum aut frequentius aut expressius Christum de Sacramento in hoc cap. loqui docuit. Ad Patrum vnanimem consensum accedunt varii Concilia, quorum testimonia in dicto tractatu Nicolai Sanderi proferuntur. Sanè Conc. Tridentinum verba huius capituli ad Sacramentum applicat sess. 13. cap. 2. & contra Hussitas quum negare commodum esset, non negat, sess. 21. cap. 1.

Aliter sententiam sententia refellitur. Qui Christum in his verbis de Sacramento loqui negant eisdem argumentis vtuntur quibus Calvinus vtitur: quæ suo loco soluemus. Hoc in loco aiunt probabile non esse Christum hinc de Sacramento loqui, quum in proximè præcedentibus verbis de se pane vt Deo ac homine per fidem manducanda

manducando loquutus fuerit, ideoque hunc esse verborum sensum; vt qui hactenus fidem docuerit in se Deum ac hominem factum, nunc fidem doceat in se hominem crucifixum. *Hæc est enim fides (ait hoc loco Cornelius Iansenius) qua manducamus panem vitæ, vt credamus Christum esse verum Deum, & se hominem tradidisse pro nobis carnem suam & sanguinem.* Sed tum argumentum hoc valde leue est, tum sensus à verborum proprietate alienissimus. Argumentum ex duplici causa leue est, tum quia in præcedentibus de se pane per fidem manducando loquutum esse necessarium non est, sed ad manducationem panis, de qua dicturus erat, fidem esse imprimis necessariam, & fidei defectum in Iudæis causam esse cur hanc doctrinam non caperent, hactenus eum docuisse, magis probabile est; tum quia etsi daremus de sola spiritali manducatione per fidem, & de se pane vt Deo ac homine, in quem credere oportet, hactenus loquutum fuisse, nullo tamen modo sequitur propterea in his verbis de eodẽ pane Christum loqui. Hic enim multo aliter quàm prius loquitur, multo disertius & expressius, vt mox in argumentis nostris apparebit. Quare Chrysostomus, Euthymius, aliique Patres, licet præcedentia verba de fide in Christum Deum ac hominem, & de manducatione spiritali exposuerint; ad hæc tamen verba affirmant de Sacramento Christum loqui. Sensum, qui affingitur, alienissimum esse, argumenta quæ statim subiiciemus, luculenter docebunt.

Sanè Calvinus cum sensum auidè complectitur, negans prorsus de Sacramento in toto hoc capite Christum loqui. *Caluini sensus, cuius que absurda.* Et ex hoc sensu multa absurda infert; in verbo manducandi ad fidem nos hortari Christum, quasi vnicum medium potiendi hoc pane vitæ: *Christi carnem canalem esse qua vitam ad nos diffundat: vitam hanc nihil aliud esse quàm Christi iustitiam nobis imputatam, quando carnem Christi pro nobis crucifixam fide apprehendimus.* Ideoque in his verbis, *Panis quem ego dabo, &c. duplicem notat donationem: vnã qua Christus nobis se quotidie offert: alteram qua in Cruce se semel pro hominum vitã exposuit: ad cuius mortis percipiendã fructum in his verbis nos inuitat.* Hæc Calvinus ex alio illo sensu à verbis Christi alienissimo deducit; & non solum veritatem carnis Christi in Sacramento destruit, sed præterea vnicam spirituales manducationem, totamque imputatiuam suam iustitiam, inde construit. Ad eò refert à veto & literali sensu vel latum vnguem non discedere.

Nunc

De Sacra-  
mento Chri-  
stum loqui  
pr. batur.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

4. Argum.

5. Argum.

6. Argum.

Apocal. 5.

3. Argum.

4. Argum.

5. Argum.

6. Argum.

7. Argum.

8. Argum.

9. Argum.

10. Argum.

11. Argum.

12. Argum.

13. Argum.

14. Argum.

15. Argum.

16. Argum.

17. Argum.

18. Argum.

19. Argum.

20. Argum.

21. Argum.

22. Argum.

23. Argum.

24. Argum.

25. Argum.

26. Argum.

27. Argum.

28. Argum.

29. Argum.

30. Argum.

31. Argum.

32. Argum.

33. Argum.

34. Argum.

35. Argum.

36. Argum.

37. Argum.

38. Argum.

39. Argum.

40. Argum.

41. Argum.

42. Argum.

43. Argum.

44. Argum.

45. Argum.

46. Argum.

47. Argum.

48. Argum.

49. Argum.

50. Argum.

51. Argum.

52. Argum.

53. Argum.

54. Argum.

55. Argum.

Nunc igitur hunc sensum aliquot argumentis confirma-  
bimus. Primum duplicem hinc donationem Christus ponit:  
alteram nobis, *Panis quem ego dabo*, de quo prius dixerat,  
*quem filius hominis daturus est vobis*; alteram pro nobis, *Caro*  
*mea est pro mundi vita*. Hæc posterior est corporalis, ergo &  
prior. Ideò enim posterior adiecta est vt priorem exponeret;  
& vt de qua carne loqueretur, nos doceret. Deinde hæc dona-  
tio panis futura dicitur, *quem ego dabo*, sicut donatio carnis  
pro mundi vita futura tunc erat; vnde in Græco repetitur,  
*quam ego dabo*. Sed non nisi corporaliter vtrumque tunc fu-  
turum erat, quia ad spiritualement donationem quod attinet fi-  
de capiendam, ab initio mundi vtraque facta erat. Nam om-  
nes iusti ab initio mundi in Christum futurum & redem-  
ptionem per sanguinem eius futuram crediderunt; quo sensu  
dicitur, *Agnus occisus ab origine mundi*. Quare Calvinus, &  
qui de spirituali per fidem manducatione hæc verba expo-  
nunt, verbum Christi, *dabo*, prorsus euacuant, falsique ar-  
guunt. Tercio, dare Christum per fidem manducandum seu  
hominem factum seu crucifixum, donum est commune toti  
Trinitati, quia spirituale donum est. Sed Christus hinc loqui-  
tur de dono sibi proprio vt filio hominis, & secundum hu-  
manam naturam. Quare sicut caro quam dedit pro mundi  
vita, erat proprium donum filij hominis, quo *dedit semetipsum*  
*pro nobis*, &c. sic panis quem hinc se daturum promittit, est  
proprium donum Christi vt filius hominis erat; in vtroque  
dono *perficiens opus quod dedit illi Pater*, sicut supra dicit  
cap. 4. vers. 34. vt ibi exposuimus. Vtrumque igitur corporale  
est, & officio corporis accipiendum: quod tres Euangelistæ  
diligenter notarunt; *Et dedit discipulis suis dicens: Hoc est*  
*corpus meum*. Quarto, hunc cibum præfert manna; ergo in  
veritate cibi & manducationis corporalis vtraque conue-  
niunt. Non enim constituitur differentia nisi inter ea que  
aliquo modo conueniunt. Nullo autem prorsus alio modo  
conueniunt manna & caro Christi in Sacramento, nisi in so-  
la manducatione corporali vtrique communi. Quinto, hunc  
cibum promittit Christus daturum credentibus in se, nec nisi  
prius credentibus; quam ob causam de fide prius disputatum  
tam multa. Prius igitur est credere in Christum, & postea  
hunc cibum accipere; ergo aliud credere, aliud accipere. Sex-  
to, fides non in carnem, sed in totum Christum est. Diuini-  
tas & tota Christi humanitas fidei obiectum est, fideque per-  
cipitur. Nulla igitur causa esset, cur hunc cibum carnem  
suam

suam vocaret, & quidem toties vocaret, nisi de carnis proprietate & proprio manducationis officio loqueretur. Alia argumenta ex sequentibus adhuc sententiis accumulabuntur.

53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Propter hæc verba, quæ communionem sub vtraque specie omnino necessariam tradere videbantur, quidam Catholici interpretes de spirituali tantum manducatione Christum toto hoc capite disputare, non de sacramentali, vel de ipso omnino Sacramento, iudicauerunt; vt imprimis Caietanus: alij non principaliter & proprie, vt in articulis Ruardus Tapperus, Ioan. Hesselius in libro de veritate Eucharistiæ, & post istos Cornelius Iansenius. Sed hi magni & docti viri, vt scribit de illis Claudius de Sainctes in opere Eucharist. Reperit. 6. cap. . . trepidauerunt timore vbi non erat timor. Sanè D. Thomas tamen suo tempore laicos sub vna specie toto orbe communicare videret, tamen in commentariis in hunc locum indubitanter asserit, de Sacramento Christum in his verbis loqui. Idem fecerunt innumeri Patres, tamen eorum temporibus sub vna specie laici communicarent. Idem & alij hodie contra hæreticos decertantes, vt imprimis Martyr Rossensis lib. 5. contra Oecolampadium, qui vir sanctus non dubitat eum à Deo desertum habere, qui pertinaciter negaret Christum in hoc capite de Sacramento carnis suæ loqui. Eius iudicium sequuti sunt alij: Gul. Alanus Card. de Eucharist. lib. 1. cap. 31. Petrus Michaël de Eucharistia cap. 5. Claudius de Sainctes loco citato, Claudius Guilandis, Ioan. Gagneus, Titelmannus, & doctissimus interpres Franciscus Toletus. Sed & huius scholæ Magistri Ioan. Driedo de Script. Eccles. lib. 4. cap. 5. & Franc. Sonnius in succincta demonstratione errorum Confess. Caluinisticæ. Denique Conc. Trident. sess. 21. cap. 1. quum negat in his verbis vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, non ideo negat, quia hinc de Sacramento Christus nõ loquitur, sed per alia Christi verba in hoc eodem capite hæc verba exponit. Sensus ergo Christi est, non vtriusque speciei sacramentalis necessitatem docere (species enim non nominat) sed perfectam & plenam carnis & sanguinis sui sumptionem esse necessariam, siue illa sub

*Verborum  
sensus ex-  
plicatur.*

Verf. 57.  
& 58.

sub vna specie panis, siue sub altera potus fiat. Nam propter  
ea de vna specie ter dixit, vt Patres Tridentini loco citato  
annotarunt, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in aternum.* Panis quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita. Qui  
manducat hunc panem, viuet in aternum. Quare hæc Christi  
verba tamen coniuunctiue legantur, sunt tamen disiunctiue  
intelligenda; ac si dixisset, *Nisi manducaueritis carnem filij  
hominis, vel biberitis sanguinem eius.* Est enim Hebraismus  
in Scripturis frequens, quem Ioannes more suo sequitur.  
Exod. 21. vbi nostra versio habet, *Qui percusserit patrem suum  
aut matrem: & Qui maledixerit patri suo vel matri, morte morietur;* in Hebræo est coniuunctio, & sed interpret sensum sequitur.  
Iob 31. *Si secutus est oculus meus cor meum, & si  
in manibus meis adhasit macula, & si ad ostium amici mei in-  
fidiatus sum, & alia multa;* vbi omnia sunt disiunctiue intelli-  
genda, vt si vel vnum horum fecerit, iuste pœnam illam  
suis fuerit. In Psalmis hoc frequentissimum est, Psal. 119. &  
aliis multis. Sic Ezech. 18 *Qui in montibus comederit, & vnam  
rem proximi sui polluerit, & pauperem oppresserit, & pignus  
non reddiderit, &c. morte morietur.* Vbi certum est singulis  
illis sceleribus deberi mortem. Sic hæc verba disiunctiue ac-  
cepta nullam habent difficultatem; & disiunctiue accipi de-  
bere illud probat quod supra diximus, Christum vni speciei  
totum effectum vitæ æternæ assignare. Duplicis tamen sum-  
ptionis meminit Christus, propter passionis suæ duplicem  
rationem; mortem corporis, & sanguinem effusum; cuius  
passionis memoriale hoc Sacramentum est. Sic notauit Am-  
brosius, ideo his verbis carnis & sanguinis Christum memi-  
nisse, vt sua Sacramentum passionis ostenderet. Augustinus quo-  
que eadem ex causa docet in his verbis, figuram esse, qua præ-  
cipiat passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque  
utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius cruci-  
fixa & vulnerata sit. Dicit communicandum esse passioni  
Domini, id est, Sacramento passionis eius vtendum, quod est  
Eucharistia; & vt utiliter id fiat, mente quoque & affectu car-  
nis passionem & sanguinis effusionem mente recolendam  
esse. Alia quoque ex causa ita loquutus est Christus, vt osten-  
deret huius cibi, quem daturus erat, participationem, perfructam  
esse animæ refectioem. Ideo manducandi & bibendi  
nominibus vsus est, in quibus humana tora refectio consistit.  
Neque enim aptioribus verbis significari hoc potuit.  
Carpit hoc loco Calvinus veteres Patres his verbis.

Lib. 4. de  
fide cap. 5.  
De doctr.  
Christi. lib.  
3. cap. 16.

*sus fuit veterum error, qui infantulos putarunt vita eterna* Patres à  
*privari, nisi Eucharistiam illis porrigerent. Sed hæreticorum* Caluino  
*more, quæ ignorat, blasphematur. Fuit quidem in veteri Eccle-* Procaciter  
*si consuetudo parvulis Eucharistiam porrigendi, ut patet* taxati.  
*apud Cyprianum serm. 5. de lapsis, cuius testimonium citat*  
*August. epist. 23. Sed falsum est veterem Ecclesiam hac con-*  
*suetudine tanquam re ad salutem parvulorum necessaria*  
*usam fuisse. Imò S. August. qui in lib. 1. cap. 20. de pecc. mer.*  
*& remiss. docet hæc verba ad parvulos pertinere, nec posse eos*  
*vitam habere nisi manducaverint carnem filij hominis, &*  
*biberint sanguinem, non sic intelligi vult ut Sacramentalem*  
*manducationem illis necessariam esse doceat; sed quòd in*  
*ipso baptismo huius Sacramenti rem & fructum percipiant,*  
*ideòque verè vitam habeant per baptismum; quod negavit*  
*Pelagius. Hunc esse Augustini sensum (quem pauci aduer-*  
*tunt) alia eius verba manifestum faciunt in sermone ad in-*  
*fantos, quem citat Beda in suis collectaneis in Paulum ad cap.*  
*10. ad Cor. Nulli (inquit) est aliquatenus ambigendum, tunc*  
*unumquemque fidelium corporis sanguinisq; Domini partici-*  
*pem fieri, quando in baptismo membrum Christi efficitur, nec*  
*alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequam*  
*panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vita-*  
*te corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe il-*  
*lius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc,*  
*quod illud Sacramentum significat, inuenit. Hæc ille. Quod*  
*autem Calvinus addit, ad ipsam veteris Ecclesiæ consuetudi-*  
*nem grauius taxandam, ipsam Christi institutionem parvulos* Caluini ar-  
*à cæna participatione arcere, quia nondum seipsos probare,* gumentum  
*nondum colere memoriam mortis Christi possunt, tale argu-* pro Ana-  
*mentum est, ut eodem à baptismo quoque parvulos arceri* baptistu.  
*concludit, quia necdum credere aut actu fidei in Christum*  
*tendere possunt, ut in eius mortem baptizentur & Christum*  
*induant. Pulchrum est, & contra Lutheranos egregiè valet,*  
*quod subiungit Calvinus, non rectè Bohemos egisse quum hoc*  
*testimonio probarent usum calicis promiscuum debere omnibus* Beza Cal-  
*esse. Ab altera parte Beza eos qui hoc testimonium ab usu ca-* uinum cor-  
*licis confirmando abstrahunt, in odium Bohemorum, id est,* rigit.  
*Euangelij, illud facere proclamat, Sic magistrum suum Cal-* In annota-  
*uinum præclare correxit Beza.* in hunc lo-  
cum.

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Caluini  
scolium  
argumen-  
tum.

Sermo. II.  
de verb.  
Domini.

**Q**ui hanc Christi concionem ad Sacramentum Eucharisticum pertinere negabant, ex his verbis argumentum sumunt: quum certum sit multos sacramentaliter manducare carnem Christi qui non habent vitam æternam, & eos solos habere vitam æternam qui spiritualiter manducant. Ex his verbis palam apparet (ait Calvinus) *perperam de Cœnæ poni totum hunc locum. Nam si verum esset quicumque ad lætam Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius participes, omnes similiter vitam referret. Scimus autem multis in exitium cedere. Sed miseram planè hoc argumentum est. Christus in his verbis de manducatione loquitur à se instituta, non à nobis quomodocunque exercita; de suo opere loquitur, qui non nisi ad salutem carnem suam ad manducandum dedit, non de eorum peccato qui ad suam perniciem illud accipiunt. Manducatio indigna non est à Christo instituta nec intenta, nec hoc loco commemorata, quippe quæ non nisi æquivocè talis est; sed de ea quæ verè & rite vocè ita appellatur, Christus hîc loquitur. Quod ex alia simili locutione sic probat Augustinus. Sicuti in illis Christi verbis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; utriusque intelligimus eo modo credentem quo & demones crediti & contremiscunt, nec in eo numero baptizatos quo Simon Magus baptizari potuit, sed saluus esse non potuit; & in illis verbis, non omnes credentes & baptizatos, sed quosdam intuetur, in ea scilicet fide constitutos que Apostolo distinguente per charitatem operatur: ita in his verbis, Qui manducat meam carnem, &c. non eos consideravit qui indignè manducantes iudicium sibi manducant & bibunt, sed de certo quodam manducandi modo loquitur, quem hic fructus & effectus infallibiliter sequuntur. Hæc ille. Nempe agit hîc Christus, nec de spirituali manducatione tantùm, ut antea ostensum est, nec de sacramentali tantùm; sed de illa sacramentali quæ etiam spiritualis est, ut ex his verbis apparet. Quare August. tract. 27. Ioannem, totam Christi concionem ita concludit, ut omnia que Christus hîc dixit de manducanda carne sua, & bibendo eius sanguine, ad hoc nobis valeant, ut carnem Christi & sanguinem Christi nõ edamus & bibamus in Sacramento tantùm, sed usque ad Spiritus participationem, ut eius Spiritu vegetemur, &c. Quæ Augustini conclusio non docet præstari*

exhiberi in Sacramento quæcunque hîc Christus dixit, tametsi de Sacramento non sit loquutus, vt Augustini expositionem peruertit Calvinus; sed perspicuè docet de ipso Sacramento suo & de sacramentali manducatione in omnibus præcedentibus Christum loquutum fuisse; sed de sacramentali quæ etiam spiritualis sit.

Impius autem Calvinus videte quàm prophanè & impiè hoc loco scribat. *Ineptum esset atque intempestiuum de Cœna tunc differere, quam nondum instituerat. Ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum est.* Petulantis & proterui hæretici intoleranda arrogantia est. Non veretur Christum ineptiæ arguere si aere institutum Sacramentum de eo differat. Quid non vereretur homo impius extento collo & perfricta fronte asserere, qui ipsum Dominum sic aggreditur? Ergo iuxta Caluini blasphemias ineptè fecit Christus qui de sua Passione futura, de suis contumeliis, flagellis, ipsaque morte, ac post triduum resurrectione, antequam eorum quicquam fieret, iterum atque iterum suos Apostolos docuit? Ineptè fecit Christus qui antequam Spiritum S. daret, de fluentis eius ac donis disputauit, dicens: *Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ?* Ineptè fecit Christus qui ante baptismum institutum de eius necessitate & fructu Nicodemum docuit? Ineptè fecit Christus qui de obedientia suis Apostolis ac ministris præstanda sæpe proloquitur, antequam illos in mundum mitteret, & ad ministerij sui functionem emisit? Aut si de passione, morte, resurrectione, de Spiritu S. donis, de baptismo, de authoritate Apostolica, antequam ista peragerentur, conferrentur, instituerentur, potuit Christus absque vlla ineptiæ aut intempestiæ disputationis nota differere ac disputare; quantus rabula Calvinus, qui *ineptè atque intempestiuè fecisse Christum* audeat asserere, si de Cœna differeret, quam necdum instituerat! Sed nullis blasphemis parcit Calvinus, vt quod vult obtineat. Nihil tam insulsum aut impium est quod asserere non veretur, vt suas impias hæreses quoquo modo stabiliat. Ex huiusmodi igitur tam impio atque insulso præterea antecedente, conclusio, quam ita certam ponit, certissimè corrumpit de perpetua fidei manducatione, vt ille ait, sed de perpetua sacramentali manducatione, cui spiritualis illa per fidem coniuncta est, Christum hoc loco tractare certo certius est.

*Impius Calvinus Christum ineptiæ arguit.*

*Matt. 16. 17. 20. 26. 27.*

*Ioan. 4. Ioan. 7.*

*Ioan. 3. Luc. 10. Ioan. 17.*

*Caluini impietas & audacia.*

V



57. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, vivet propter me.

Sacramentalu Christi manducatio probatur.

Sacramentalem corporis Christi manducationem, eiusque manducationis fructum, hæc verba fortissimè doceant. Quum enim dixisset, *Qui manducat meam carnem, & bibit vitam æternam*, probare id nunc vult à vera manducatione & reali acceptione vivificæ carnis suæ. Dicit ergo: Sicut ego qui sum filius Dei, eandem vitam habens cum Patre, factus tamen homo & tanquam homo, quia missus sum à vivente Patre, id est, habeo divinitatem Patris viventis humanitati meæ unitam, & vivo propter ipsum (humanitas enim mea accipit vitam à divinitate, & à Patre ipso) ita qui me manducat, accipiet vitam à me, quia mihi vivit non solum per fidem & charitatem, sed realiter seu naturalis unionis, ait Hilarius lib. 8. de Trinit. & in me manet non solum per fidem & dilectionem, sed reipsa & corporaliter, ait Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 13. & libro 11. cap. 26. & 27. & Chrysost. hom. 45. in Ioan. non quòd vnum fiat ens naturale Christi & manducantis eum, sed quia præter unionem spiritualem ratione fidei & charitatis, etiam reipsa Christus habitat in eis qui manducant eum, veluti fons & causa eadem fidei, charitatis, & gratiæ: & hoc modo qui manducat, vivit propter Christum, quia habet in se causam & fontem vitæ spiritualis. Pulchre hoc D. Basilius docet. Chrysostomus dicens, *Ego vivo propter Patrem, potest illam vitam dicere qua Christus etiamnum vivit, Verbum Dei habens in seipso. Et hoc ex sequentibus patet ubi dixit, Et qui edit me, vivet propter me. Carnem namque ipsius edimus ac sanguinem bibimus, consortes effecti verbi ac sapientia per incarnationem & sensibilem ipsius vitam.* Hæc ille epist. 141. Docet eo modo per manducationem carnis Christi effici nos consortes Verbi, id est, vitæ & gratiæ quæ ab ipso incarnato est; unde adiecit, *per incarnationem eius, sicuti Christi humana natura vitam in seipsam recipit, non velut à Patre longè remoto, sed velut essentiali eius Verbo præsentem, & naturam ipsam humanam vivificante.*

63. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.

Varia est huius loci expositio. Vna Chrysostomi & Basilii, de spirituali & carnali intelligentia verbi

verborum Christi, qui sensus etsi verus sit, tamen non videtur  
 ad litteram accommodatus. Alia hæreticorum communis  
 est, de spiritali manducatione per solam fidem Christum  
 loqui ut ipsa carnis Christi manducatio aut sumptio realis  
 nihil profit. Hanc ipse Caluinus reiecit; affirmans *neccesse esse*  
*Christi carnem comedere ut crucifixa profit.* Tertia est i, *fius* <sup>Vasfractal-</sup>  
 Caluini, Christum hic ad modum edendi simpliciter respe- <sup>uini expo-</sup>  
 xisse, ideoq; carnem ex sua origine & natura estimatam, qua <sup>sitio.</sup>  
 rota terrestris est, nihil prodesse, sed ex Spiritus virtute, qua  
 caro Christi perfusa est, ipsam Christi carnem esse viuificam,  
 & esse verè cibum, quia per ipsam partem nobis est vita, & in  
 ipsa placatus est nobis Deus, omnesque salutis nostra partes  
 complete. Plena dolo & vasfricie hæc expositio est. Primum,  
 non in his sed in sequentibus verbis ad modum edendi spi-  
 ritualem Christum respexit ex sententia Augustini, quem Cal-  
 uinus se sequi affirmat. Deinde, Christi quidem caro ex Spi-  
 ritus veritate viuifica est, sed quæ sit hæc Spiritus virtus  
 non explicat, an ipsa Christi diuinitas carni vnita, an spiri-  
 tuales eius effectus quos postea describit. Tertio, docet qui-  
 dem Christi carnem ex Spiritus virtute esse verè cibum, sed  
 quatenus per illam crucifixam partem nobis est vita, & pla-  
 catus Deus, non quatenus Christus illam nobis comeden-  
 dam dedit: & sic in secundam sententiam, quam reiecit ipse-  
 met, relabatur. Tota & perspicua veritas, quam hæretici par-  
 tim impugnant, partim fugiunt & dissimulant, (ut hinc Cal-  
 uinus) veraque verborum expositio hæc est: Caro Christi <sup>Verborum</sup>  
 si sola esset, & merè humana, qualem Capharnaitæ intelli- <sup>sensus.</sup>  
 gebant, non prodesset ad vitam: at quia Spiritus & diuini-  
 tatis caro est, ipsique coniuncta; prodest & efficax est ad  
 vitam; diuinitas enim per ipsam viuificat. Ideò diuinitatem  
 suæ carni vnitam esse in præcedenti sententia docuerat, di-  
 cens de sua Ascensione futura, *Si filium hominis videritis*  
*ascendentem vbi erat prius, supple, quid tunc dicetis?* Hunc  
 in modum exponit Cyrillus libro 4. capite 13. & 24. & D.  
 Augustinus tractat. 27. *Caro (inquit) ut est diuinitatis orga-*  
*num, prodest ad vitam.* Eandem expositionem tenet de Ci-  
 uitate Dei libro 10. capite 24. Athanasius quoque tum in li-  
 bro de Incarnatione Christi, tum in oratione in dictum il-  
 lud Matthæi, *Quicumque dixerit verbum aduersus Spiritum*  
*Sanctum. Quem sequitur Damascenus de orthod. fide*  
 libro 4. capite 14.

63. *Verba que ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

Caro Christi spiri-  
tualis spiri-  
rituali  
modo man-  
ducanda.

Vocat hinc Christus verba hactenus dicta, seu totam hanc suam concionem de manducanda carne & bibendo sanguine suo, *Spiritum & vitam*, ratione materiz qua hactenus tractavit: vt videlicet eos doceret intelligenda sua verba esse, nec de re aliqua carnali sub carnis specie, sicut illi intelligebant, sed carne spirituali ac viuifica, qua diuinitati coniuncta; nec etiam de manducandi aut bibendi modo carnali, sed spirituali. Verum enim Christi corpus & verus sanguis tamen verè & realiter in Sacramento accipiuntur, non tamen carnali aut sensibili modo accipiuntur, sed sub Sacramento & aliena specie: qua sensibili specie mediante, cui intimè corpus Christi conuertitur (non immediatè & per se vel in sua quantitate) corpus Christi tangitur, frangitur, manducatur: qui est vnus spiritualis modus manducandi corpus Christi, vt distinguitur à visibili & carnali manducandi modo qualem Iudæi intelligebant. Et hunc locum optimè explicat S. Augustinus. *Verba que locutus sum vobis, spiritus sunt & vita, spiritualiter intelliguntur. Non hoc corpus quod videris, manducaturi estis. Sacramentum aliquod vobis commendauit. Spiritualiter intellectum comunicabit vos: etsi necesse est illud visibiliter celebrari, operari tamen inuisibiliter intelligi.* Hæc ille. Caro igitur Christi non habet adiunctum Spiritum viuificantem, id est, ipsam diuinitatem, ideoque qualitates habet spirituales, Deoque proprias (vnde in carne humana multa fecit diuinè) proprietates per modum illarum, non per modum qualitarum & proprietatum merè humanæ naturæ, in hoc Sacramento adhiberi & à nobis manducari voluit. Hanc ob causam verba locutus vocauit, *Spiritum & vitam*, quia spiritualiter totum accipiendum est: quod docuit; & sicuti carni viuificæ ac diuinitati coniunctæ conuenit; non rei veritatem, quam totum inculcauit, hoc vno verbo tollens, vt hæretici colligunt, sed modum huius rei accipiendæ spirituales subiiciens, vt Augustinus, alique Patres in hanc locum exponunt.

Caluini  
depraua-  
tio.

Caluinus totam hanc sententiam Christi ad generalis doctrinæ Euangelicæ commendationem transfert, ad præsentosam illam sententiam stabiliendam, ex auditu Euangelij vnumquemque credentem de sua salute certum reddens. *Vitam (inquit) ab effectu sermonem suum nominat Christus*

quasi uiuificum. Sed uiuificum nemini fore docet nisi à quo spiritaliter percipitur. Apud pios suauissimum hoc Euangelij elogium est, quod certi sunt sibi in aeternam salutem destinatum esse. Hæc ille. Atqui Christum de sola sua præsentia con- cione, & de modo eius intelligendæ, ista locutum esse, to- tus contextus ad oculum docet. Verba quæ ego locutus sum vobis, non nisi de illis verbis intelligi possunt, quæ præsen- tibus Iudæis locutus fuerat. Spiritus & vita sunt, non nisi ad rem præsentem pertinent, quòd Spiritus uiuificat, caro non prodest quicquam.

Nunquid & vos vultis abire?

Veram hinc causam ponit Christus incredulitatis Iu- dæorum. Prius eam causam posuit, quia, vt ad Chri- stum venirent, non fuit eis datum à Patre. Sed ne quis hanc propriam incredulitatis illorum causam esse putaret, aliam nunc assignat, liberam eorum voluntatem prauam. Aliis enim discipulis recedentibus, Apostolos rogat (quibus haud dubiè à Patre datum erat vt ad Christum venirent) an & illi recedere vellent, manifestè docens in eorum libera vo- luntate positum esse, vt vel in Christo manerent, vel ab eo recederent. Notauit hoc S. Cyprianus his Christi verbis ci- tatis. *Seruat scilicet Dominus legem qua homo libertati sua relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse vel mortem appetit vel salutem.* Hæc ille. Sanè Iudæos ex pro- pria malitia, non ex absoluta Dei voluntate, in Christum non credidisse, tam diligens & prolixa ad eos habita con- cilio satis demonstrauit. Quod ergo Dei gratia efficaciter multi non conuertantur, in ipsis non in Deo causam ponen- dàm esse docet S. August. his verbis. *Vt innotescat quod la- rebat, & suauè fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis in eadem causa est, non in Deo, siue damnandi predestinati non sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam su- perbiæ indicandi & eruendi, si filij sint misericordiæ.* Hæc ille, latius idem eodem loco confirmans, & concludens nullius culpæ humanæ causam in Deum referendam esse. De pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 17.

Increduli-  
tatis vera  
causa.

Epist. 55.

Libro 2.  
cap. 17. de  
pecc. mer.  
& remis-  
sione.